



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Lib. XV. Serpens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

JOANNIS PIERII VALERIANI
HIEROGLYPHICORUM

LIBER XV.

DE IIS QUÆ PER SERPENTEM IN ALIQVOT
SIGNIS MILITARIBUS, DEQUE CADUCEO
AD REM IPSAM, SIGNIFICANTUR

Ex Sacris Ægyptiorum literis.

AD ACHILLEM MAFFÆUM PATRI-
TIUM ROM.

Cui vero opusculum hoc alterum de quibusdam Serpentis significationibus, in signis præcipue mili-
taribus, deq. Caduceo nuncupem potius, quam tibi, Clarissime Achilles? qui præter absolutam Le-
gum peritiam, totius etiam es antiquitatis non incuriosus affector, cuique hæc domi nascuntur
tam patris tui viri elegantissimi cura, quam accuratissima avi illius tui clarissimi diligentia: qu-
cum à secretis Pauli Veneri II. P. M. esset, quantumcumq. ori publicis à negotiis farripere poterat, it-
tum id rerum harum cognitioni studioque iradebat, meq. fateor à vobis mutuo accepisse plurima in
roto hoc negotio meo, qua tibi reddere, post rem arbitrio meo digestam, justum æquumq. existimata.
Accipies igitur à me redditionis, sed libera & ingenua nomine, multarum rerum expressâ significationem,
quarum figuræ imagineq. apud vos laudabili cura custodiuntur, illudq. præcipue familiaribus nobilium
domorum insignibus argumentum, contra juniorum quorundam eruditorum opinionem scriptum ostendi-
sti, quod ex ipsa vetustate desumptum, & apertissime comprobatum perlegisti. Subjeci, me quog. sententi-
tecum, & in hoc comprobando non parum ad labor assè: Imperatorum veterum, atq. adeo militum insignia,
& in parmulis & in signis more nostro picta fuisse multa enumeravi, præsertim eorum qui Serpentem pri-
tulissent: nam circa Caduceum sollicitus plurimum esse videbaris, & qua de principatus hieroglyphica
multa disserui, iussisti mox, ut ea omnia conscriberem, quod per otium ea recognoscere constituisses. Quam
primum igitur mihi quog. per otium licuit, quo optare te tantopere contenderas, efficere procuravi, idq.
quamlibentissimè, qui tantum in lucris ponerem non ignorabam: simulq. mihi stimulus addebat ad fir-
dia hac, veluti postliminio revisenda: qua in multarum occupationum quasi concursu, diutius fuerant in-
termissa. Tua præterea humanitatis opera, multa in melius resarciri posse videbam, ut ita minimè forte pe-
ritura esset lucubratio mea, que talem tantumq. sibi argumenti hujus non leciorem modo, verum etiam ab-
jurorem comparasset: censuram enim doctrinamq. tuam spero mihi plurimum profuturam.

IMPERATOR. CAP. I.

Primum igitur hieroglyphicum in hoc genere illud erit, quod ad rerum summam pertinet. Sa-
cerdotes enim Ægyptii si vellent Imperatorem, aut potentissimum quempiam Regem per inli-
tutas ab eis imagines indicare, Anguem, ut apud Niliacum Horum est, in spiram collectū faciebant,
palatii cujusdam specie in voluminum medio statuta: siquidem domus regia in imperii totius
centro sita esse debet, ut omnium æque commodis consulatur. Nam Plato Legum quinto, Reip.
sua urbem jubet in medio regionis, quoad fieri potest, poni. Et Genes. 23, cum dicendum esset, E-
me quem Ephron longè princeps Hetbæcrû. scriptum invenias ad hujus instar hieroglyphici. Habebat
autem Ephron in medio filiorum Hetb. Hiñc rerum scriptores memoriæ non temere prodiderunt, Anto-
ninum Pium in urbe semper sedisse, ut ita medius nuncios undique citius accipere possët, idcoq. ne
longius abesset, nullas umquam expeditiones obivit, prædia sua tantum in Campania nonnunquam
visere

*Regia do-
mus ubi ef-
se debeat.*

A visere contentus: quamvis esse scio, qui factum hoc ab eo dicant, quod gravem esse provincia- libus comitatum Principis etiam nimis parci existimaret. Diodorus autem licet alia quoque Ser- pentis significata commemoret, quin tamen & imperium ex ejusdem animantis pictura intelligi possit, nequaquam inficiatur. Quidam hominem regni potitum hieroglyphice ita describunt, ut eum manu Serpentem comprimere indicent, cujusmodi simulacrum est in numo Aurelii Cæs. Aug. Pii filii, in quo sigillum est, Serpentem a medio manu tenens, admoventem caput dexteræ cibum porrigenti.

Nimus Au- relis Cæsa- ria.

OSCUS. CAP. II.

MANETHON Ægyptius author, quisquis ille fuit, ait Oscum, qui Tyrrenis imperavit, in signe Serpentis habuisse, Oscosq; ait Servius populos dici, ubi plurimum Serpentes abundant, in Campania quippe. nam Oscum hunc ajunt coloniam eo transmisisse, Hetruscis tunc Italia fere totius rerum potentibus, urbemq; in ea regione longe principem, ab aurigo accipitris, quem Hetrusca lingua Capym appellabant, nominasse, ut scriptores quidam vetustiores memoria prodiderunt: licet tempore succedente creditum sit, eam ita a campestribus locis nuncupatam. Poeta vero Hecataeum secuti, eosdemq; Hecataeus, Capym Trojanum virum urbis authorem fuisse tradunt, & ab eo nomen. Sed hæc utcumq; fidem faciant (in nulla enim magis authores diversi abeunt, quam in urbium originibus repetendis, dum Græci sibi omnia adscribunt, Latini sua possidere contendunt, nationes plaræq; aliæ non ignobiles esse volunt) satis constat Oscum, Ægyptiorum principum more, Serpentis in signe gestasse, & Oscos ejus colonos inde nuncupatos. Oscus dubio procul Hetruscum nomen est, & apud eos ad hæc usq; tempora Viperæ Oscorzones appellantur, si modo Vipera Serpens ille sit, qui tota Venetia vulgo Marassus dicitur. Et sacra apud nos literæ Serpentem principis elogio nominarunt, dum ait assertor noster, fore, ut hujusmodi princeps foras ejiciatur, cum de diabolo loqueretur, qui per Serpentem multis in locis utriusq; institutionis nostræ figuratur. Hanc interpretationem D. Ambrosius e nostris nequaquam aspernatur.

Osci populi, & Capys urbis regio. Capys accipitris.

JUNO DOMINA. CAP. III.

ET indicandi dominii causa, in Junonis quoque dextera Serpentis caput statuebatur, in læva vero lapidem sceptrum: cum Juno ipsa dominii præles apud gentes haberetur, incederetque, ut ipsa de se apud Virgilium dicit,

Entid lib. 1

— Divum Regina, Jovisque Et soror, & conjunx.

JUNO CONSERVATRIX. CAP. IV.

NAM in Julia Mameæ Aug. numo simulacrum est in sinus fluentes collectum, læva hastæ adnixa, dextera Anguem in spiras convolutum porrigente, ubi Anguis omnino imperium, hasta Defensionem indicat: quod ut conjiciam facit inscriptio, quæ in hunc modum legitur, JUNO CONSERVATRIX.

Julia Mameæ numus.

ORBIS DOMINIUM. CAP. V.

Serpentes quoque Leonibus, qui Opis deæ simulacro apponebantur, adjuncti terrarum orbem, vel orbis ipsius dominium significabant. Argutum vero dictum apud Græcos contra potentiores civili quodam libertate jactari solitum, ὄφεις, εἰ μὴ Φάλη ὄφιν, δὲ γὰρ ἂν ἰσχυροτέραι, hoc est, Anguis, nisi Anguem comedat, non fiet Draco. Nam inter Serpentum genera Dracones ii vocantur, qui corpore sunt immuniore, vastioreq; magnitudine, tametsi pro quocunq; Angue plerunque nomen hoc autores usurpant. Quem igitur Imperatorem statuas, eo adagio, ajebant illi, ei necesse esse Reges & Principes multos deglutire, ut ita Rex regum fieret & dominantium dominus.

Dictum in potentiores. Ab Erasmo ad verbum. Chil. 3. cen. 3. prob. 61.

IMPP. DUO. CAP. VI.

IN Græcorum etiam numis dominium per Serpentum effigiem significari observavimus: nam in numo quodam videas Serpentes duos ad femicirculi curvaturam invicem spectantes caudis introrsum incurvatis; cujus inscriptio dominium penes duos esse demonstrabat: ita enim habebat, ΔΤΝΑΡΧ. ΕΕ ΤΠΑΤ. Β. Quod ita apertius exprimitur, διωαρχία ἐξ ὑπάρτων δύο.

Græcorum numisma.

*Accidit An
no ab urbe
cond. 242.*

Quod si regem Aegyptii, provinciae tantum alicui jura legesque dantem pingere voluissent, dimidiatum ut apud Horum est, Anguem figurabant, per animal quidem Regem per segmentum vero quod non universo imperaret orbi, subindicantes: omnipotentem siquidem ex integro Dracone intelligi, superius ostensum est. Sane Anguis ille, qui Tarquini Superbi animum percussit, anxiumque reddidit, cum a columna lignea repente elapsus omnes vertisset in fugam, tota rei miraculo curia consternata, nimirum significabat, novum & inexpectatum principem, eundemque juvenem L. Brutum, de columna lignea, hoc est, de stupore, quem diu simulaverat, proditurum. Lapis enim & caudex, pro stupido & alienatae mentis homine, apud Comicos positum.

REX OPTIMUS. CAP. VIII.

SI vero regem optimum significare procurassent (καλλιστον enim, non autem κακιστον, in emendatis Hori codicibus habetur) Anguem utique in orbem collectum effingebant, cauda mordicus apprehensa, sed regis nomen in spirae medio describebant. Quin etiam certam Anguis speciem, uti cognominatam, huic significato adhibebant. Cur vero Anguem fingerent sibi caudam admordentem, auctores quos sequimur nusquam tradunt: sed si arisolari licet, indicabat, omnia usque ad minima, ultimaque curae esse Regi, qui bonitatis nomen sit adepturus, cum ea praecipue de causa Sardanapalus, & plerique alii infames habiti sint, simulac ad principatum pervenere, omni abjecta cura sibi tantum vacare, seque unos curare instituerunt.

REX TUTELARIS. CAP. IX.

*Vigilantia
in Rege ne-
cessaria.
Homer. Iliad.
β.*

Quod si Reges Aegyptii suum, vel alium quempiam in obeliscis aut monumentis aliis, curam populi sui gessisse regiam attestarentur, eumque tutelarem fuisse commonerent, Anguem vigilem, vertice quippe surrecto, erectoque: peccore sculpebant, cujusmodi species adhuc plerisque locis inspicitur: hic vero pro Regio nomine Custos inscribebatur, utpote quod aequae vigilabundum esse deceat Regem, cui gentium regnique tutela sit curae credita: quare apud Homerum Somnus Nestoris personam indutus, his verbis compellat Agamemnonem:

Ὀύχρη παννύχιον εὐθεὶν βεβληφόμενον ἀνδρα,
ὃ λαοὶ τ' ὀπιπτερῶφάται, καὶ πόσα μέμηλε.

Quam sententiam ita reddamus:

Non decet ignavum tota perducere somnum
Nocte virum, sub consilio, sub numine cuius
Tot populi degunt, cui rerum cura fidesque
Credita summarum.

Quod P. Scipio, vir alioqui rebus tot praecclare gestis omni laude major, cum minime praestaret, somnolentiae taxatione male apud Romanum populum audiebat, auctor Plutarchus libro ad Trajanum Imper. de civili institutione. Sane vero Dracones a visu, quem acutissimum habent, nomen apud Graecos habuere. Palladi autem eadem de causa dedicatur, quia nomen id εὐφροσύνην καὶ βλέπειν, καὶ εἰς πάντων ἰσθῆν, factum nonnulli tradunt, prudentiamque: hinc interpretantur, quae omnia prospiciat, & ante omnes intelligat. Carpit Horatius quemdam, qui in amicorum vitis tam acute cerneret quam Aquila, aut Serpens Epidaurius: puto proverbium secutus, ὄφρα ὁ μύκη. Neque temere Aristophanes finxit Angues duos Pluti oculos in gratiam Aesculapii lambere, cuius rei beneficio ille ex caeco cernere capisset.

*Serpentis
oculus.*

HEROS. CAP. X.

*Draco cur
Heroibus
dicatus.*

Quod autem Heroibus in universum Draco sacer habeatur, ea de causa Plutarchus, Agide factum putat, quod ex medulla hominis serpens gigni soleat, quod non ignoravit Virgilius, cum ad Anchisae tumulum haec accidisse memoravit:

Aeneid. lib. 5.

— Adytis cum lubricus Anguis ab imis,
Septem ingens gyros septena volumina traxit
Amplexus placide tumulum, lapsusque, per aras:
Carulea cui terga nota, maculosus & auro
Squammas incendebat fulgur, ceu nubibus arcus
Mille trahit varios adverso sole colores.

Obsupit

A *Obsupuit visu Aeneas, ille agmine longo Libavitque dapes, rursusque innoxius imo Tandem inter patras & lavia pocula Serpens, Successit tumulo, & depasta altaria liquit.*

Quod quidem non temere fictum à Poeta sed ex historia desumptum. Atheniensibus enim contra Medos apud Salamina navalem pugnam inituris, Serpens draco in navi dicitur apparuisse, secundissimo rerum, quæ prospere subsecuta sunt prodigio: cuius rei monumentum in Salamina templum fuit Cychreo, ut apud Pausaniam est, dicatum, quod Apollo responderit, Serpentem illum Cychreum heroem fuisse, qui auxilium allaturus advenisset.

EPAMINONDAS. CAP. XI.

Epaminondas autem Imperator ille clarissimus, qui ad Mantineam tam fortiter occubuit, Draconis gestamine insignis fuit. Eo vero loco ubi prælium commissum est, columnam erexit antiquitas, cum clypeo Draconem in ejus memoriam sculptum ostentante. Quod Pausanias ideo factum arbitratur, quod is ex Spartiarum cognatione, quæ Thebis erat antiquissima progenitus dicitur, quorum id gentile esset insigne: quippe quod à feminio anguineorum dentium, quos Cadmus severit, oriundi essent; Spartanosque ipsos in Laconia inde originem duxisse nonnulli credidere, quos olim *ὀφιοδέεσσι* nuncupatos alia de causa historici tradiderunt: cum enim annonæ caritate laborarent, compulsi sunt, Serpentes, quorum vis magna in Laconia multiplicaverat, in humani cibi usum convertere. Sed quoniam de clypeis & gestaminibus militum atque cohortium multa dicturi sumus, quia id præcipue contendebas, ut adversus eruditorum quorundam sententiam veterum exempla tibi suggererentur, quo non esse novum institutum, familias variis gestaminibus tum colorum, tum dissectionum, atque etiam insculptarum in illis animantium, figurarum, plantarum, instrumentive alicujus adfectione discerni, comprobare posses: priusquam ad horum explicationem aggrediar, alia quædam ad principatum & nominis claritatem per Anguem commonstrata dicere necessarium est. Sed prius aliqua de ostentis.

*Spartiani
cur ὀφιοδέ-
εσσι olim.*

AMPLITUDO NOMINIS. CAP. XII.

In ostentis enim summam nominis amplitudinem portendere Anguis fertur, non iis tantum, quæ ad imperium, aut alium quemcumque principatum attinent, sed ad ea quoque, quæ vel ingenio, vel arte celebritatem sibi aliquam comparaverit, ut in histrione Roscio, artis suæ gloriam præmonstravit: cum enim puerum Anguis dormientem noctu complicasset, pater ad aruspices detulit, qui responderunt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore.

DOMINIUM. CAP. XIII.

Aureliano vero, quamvis modicis parentibus ortus esset, summum tamen imperium Anguis portendisse fertur, cum ejus pueri pelvim plerumque cinxisset, neque unquam occidi potuisset: postremo matrem ejus, quæ templi Solis sacerdos erat, & aruspiciæ non ignara, cum hoc vidisset, Serpentem quasi familiarem occidere noluisse. Pari præfatio Severo imperium præmonstratum est, cui dormienti, ut Spartianus ait, in stabulo Serpens caput cinxit, & sine noxa, expergefatis atque acclamantibus familiaribus, abiit. Quin & Maximini junioris, quem pater secum Imperatorem appellavit, caput dormientis Serpens circumdedit, futuræ dignitatis argumento. Quid autem somnia? nonne ipsa quoque vel in conceptu, vel in partu, quotiens Draconem obtulissent, ejusdem amplitudinis prænuncia fuerunt? *Mamae somnium.* Mamae Alexandri Severi mater, pridie quam puerum eum pareret, somniavit se Dracunculum enixam edidisse. Nam & Alexandro Macedoni Draco domini claritatem præfagivit, qui matri Olympiæ congressus est in somniis. Hoc idem de Pomponia Africani Scipionis matre traditum est, & ipsi Draco circumfusus nihil attulit nocimenti. Dedit & Augusto Imperii præfagium ostento simili. Nam cum Actia mater ejus ad solemne Apollinis sacrum media nocte venisset, positaque in templo lectica, dum cæteræ quoque matronæ dormirent, obdormisset, visus est Draco repente ad eam irrepere, pauloque post digressus: illa vero expergefata, quasi à concubitu mariti se purificavit, & statim in corpore ejus extitit macula veluti picti Draconis, quæ nunquam eximi potuit, adeo ut publicis inde balneis perpetuo abstinerit. Sedenim facile fuit

Mamae somnium.

Actia somnium, Sueton. in August. 64.

fuit ostenta, quæ principibus viris, aut nobilitate, aut opibus claris accidissent, ad futuram eorum amplitudinem accommodare: quid autem de servis dicemus infima fortuna genitis? Spartacus venalis cum Romam delatus esset, deprehensus est dum quiesceret, habere sub capite Draconem in spiram complicatum, quem Thracia itidem mulier conspicata vaticinandi peritissima, signum esse dicit magna cujusdam & formidabilis potentia, quæ tamen infaustum esset exitum habitura. Idem Serpens ubi defectus casu aliquo fuerit, imperii adesse finem idem idem ostendit. Nam Tiberius Cæsar Serpentem Draconem in deliciis habere solitus, eiq; manu sua cibum ministrare: quem cum is corruptum à Formicis reperisset, monitus est cavendam sibi esse vim multitudinis: Formicas enim populi signicatum habere, non fabula tantum Pelei Thessaliæ Regis, verum & portenta & prodigiosa somnia declarant. Nam & Nero paulo ante quam exingueretur, visus est sibi per somnium pennatarum Formicarum multitudine oppelli. Sedenim de Formica loco suo plura. Quod ad Serpentem pertinet, idem Nero, qui Serpentis spoliū à matre pro amuleto commendatum, brachio alligatum aliquandiu gestaverat, inde memoriæ maternæ tædio abjecerat, tunc id perquisivit incautum, cum omnia contra se fremere comperisset, maternæ erga se pietatis sero memor.

Sutton. in
Nerone. c.
46.

ASIA. CAP. XIV.

Tres Serpentes quid
in numis.

ANTEA vero quam militaria signa promoveam, scrupulus ille mihi videtur eximendus, quod nonnulli per Serpentes tres, Asiam provinciam significari putant, non secus ac Ibes Ægyptum, Elephanti Africam, Cuniculus Hispaniam, Equus Italiam, quæ sigillatim suo quoq; Commentario declarata sunt. Id ea de causa suspicari videntur, quod numi plerique argentei conspiciuntur, quæ in scriptio est CÆSAR IMP. VII ab altero latere angues tres, quorum duo pectoribus hinc inde sinuose surrectis attolluntur, tertius jacens: capite caudam unius, cauda vero caudam itidem alterius implicat. Hos inter Victoria surrigitur calathisco insitens: quippe ad ipsius terræ Asiaticæ feracissimam ubertatem significandam. Inscriptio vero est, ASIA RECEPTA. Sedenim, ego Angues eos tres indicare crediderim, Imperium Romanum tres jam orbis partes occupasse: Europam enim diu possederant, Africam paulo ante subjugarant, nunc Asia recepta, & ad reliquas applicata, tertiam quoque partem adepti videbantur.

PRÆFECTUS MILITUM. CAP. XV.

Cæsari numus.

Capita Draconum in aquis contrita.

QUOD vero pertinet ad insignia militum, numus est Cæsaris Dict. III. in quo Victoriæ caput est: alarum quippe & capillis in nodum collectis, ab altera cuius facie Roma gradiens, stola ad pedes demissa, capite, uti mos, galeato, ancile sinistra gestans, læva trophæum, quod humero inheret, sustinet, à latere vero Serpens Draco prorepat capite surrecto, magnis voluminibus terga trahens, cuius inscriptio est, C. CL. VI. PRÆ. M. Cæsar Clodivus VI. præfectus militum. In sacris literis legas Draconum capita in aquis à Deo contrita, quod Psalmo quarto supra lxx. habetur, quod milites, centuriones & duces eos significat, qui fuerant à Pharaone immissi, ut Israeliticum populum persequerentur: ii aquarum mox inundatione suffocati sunt, atq; ita contriti, quodq; mox sequitur pharaonis longe insigniori, Tu confregisti caput Draconis, Pharaonem ipsum intelligit. Qui mysticum sequuntur sensum, hæc ad Christum referunt, qui dæmonis vim omnem sustulerit.

COHORTES. CAP. XVI.

Insignia cohortum.

QUIN & cohortium erant insignia, perque singulas earum, ut Flavius Vegetius scribit, ferebatur ad prælium à Draconariis, quo nomine *κατὰ δράκοντες*, signiferos omnes appellabant. Quo vero pacto gestarentur, videre est apud Ammianum Marcellinum, ubi pompam describit, quæ Constantius Imper. urbem ingrediens duxit: *erant enim ut is inquit, Dracones basilarum aureis gemmarumq; summitatibus illigati, biatu vasto perstabiles, & ideo veluti in percussis sibilantes caudarumq; volumina relinquentes in ventum.* De iis Claudianus:

Mansuescunt varii vento cessante Dracones.

Erat vero signum Draconis purpureum, ut idem Ammianus attestatur. Atqui non in signis tantum Serpentes militibus usi fructu, sed vivi etiam, pugnatoribus focis auxilium non contemnitabile præstiterunt.

A præstitere. Legimus enim Annibalem monstrasse Antiocho navali prælia pugnatura, ut in hostium classem vascula jacularentur Viperis plena, quarum metu perterriti hostes à dimicatione, & nauticis ministeriis impedirentur. Idem cum Prusias jam cedente classe sua fecisset, victor evasit. Antiquæ vero illius militiæ vestigia quædam habentur apud vos Massæos Romæ, in Canone quodam circa Theodosii tempora, & aliquanto etiam prius confecto, in quo militum omnes ordines recensentur, gestaminaque ipsa suis etiam coloribus picta conspiciuntur, quæ quisque manipulus turmaque, ex quadrupedibus vel alitibus, vel ex colorum varietate signa sibi desumpserunt: ex quibus, quæ facerent ad Anguem, quoniam id operis ordo sibi deponere videbatur, subicere non importunum judicavi.

SENIORES MENAPES. CAP. XVII.

EX his enim seniores Menapes dicti, Anguem luteum pro insigni habebant in parma viridi, cuius marginem ruber limbus ambibat. Umbilicus argenteus erat, circa quem luteus circumducebatur circulus. His autem Serpens terga inferne habebat, caput & caudam sursum versus inflectebat.

CORTONACENSES. CAP. XVIII.

Qui vero coloris albi Draconem præferabant in rubra parma, cuius umbilicus erat argenteus, in margine vero circuli duo, quorum interior prasinus, albus exterior, ii Cortonacenses appellabantur, & cum superioribus utrique sub magistro peditum stipendia faciebant.

THAIPSALI. CAP. XIX.

Nam qui sub equitum Magistro militabant Thaipali (nisi codex in damno est, & Thessali, forte castior lectio sit) nuncupati, cæruleum gestabant Anguem, terga lævam versus porrigentem, in dexteram vero caput ad caudam incurvantem, qui gestis in Cortonacensibus diversus erat. Horum vero parma alba, umbilicus identidem argenteus, circum quem ruber ducebatur circulus. Inter caput & caudam Colubri, violaceus erat orbiculus.

PRÆFECTI FABRICÆ. CAP. XX.

Inter gestamina vero Fabricæ præfactorum, quæ sex numero erant, dimidiatus Serpens luteus in horum uno conspiciebatur, parma cærulea, aureus umbilicus, margo ruber: intra quem à læva parte, Onyx parvus cum Æthiopsis sigillo. Sequebantur ii virum illustrem, Magistrum officiorum appellatum.

SAGUNNENSES. CAP. XXI.

Sed Angues duo in hujusmodi militum gestaminibus colore rubro, sive, uti ex Ammiano diximus, purpureo, ad similitudinem X. Græcæ literæ in transversum siti, in cærulea parma, cuius marginem ruber limbus circumdaret, eorum erat infigne, qui sub Magistro peditum merentes, Sagunnenses appellabantur.

BIANENSES. CAP. XXII.

Humanicipitis autem Serpentis effigies, in cærulea parma ipse quoque unicolor, spiris duabus circa umbilicum aureum datis, capite eo humano superarrecto, & in aversum respiciente, cauda aliquantulum inferne summissa propendenteque gestabatur à militibus, qui sub Magistro militum per Illyricum merebant, Bianenses nuncupati.

HONORIANI JUNIORES. CAP. XXIII.

Erat inter hos quoque mutilati Serpentis infigne, cujusmodi eorum habebatur, qui Honoriani juniores vocabantur. Serpentis id frustum luteum, totam fere parmam circumplexum. Inter caput & segmentum quadra erat & ipsa lutea, angulis in os & in cæsuram versis, in qua tessala conspiciebatur purpurei coloris. Intra Anguem parma omnis rubra, extra tergum circulus albus ducebatur, umbilicus erat argenteus. Erant ii sub illustri viro equitum Magistro.

MARCOMANI. CAP. XXIV.

Sub eodem præfecto merebant & Marcomani, qui dimidium ipsi quoque Serpentem præferabant coloris identidem lutei, in alba parma, cuius aureus erat umbilicus. Inter segmentum & caput lutea etiam lunula cernebatur adpicta.

CURIATI JUNIORES. CAP. XXV.

Contra vero in nigra parma luteus erat Serpens eodem circumductus modo, & ipse curtus, orbiculo quodam cæruleo inter caput & incisionem collocato: umbilicus ad angulos rectos decussatus, partes duas adversis angulis oppositas albas, duas cæruleas habebat. Gestabant hoc Curiatii juniores, sub eodem Magistro equitum militantes.

MAURIALITES. CAP. XXVI.

At dimidii duo, seque invicem inspectantes albi coloris in parma viridi, quam margo ruber ambibat, eorum erat gestamen, qui sub eodem Magistro equitum Maurialites appellabantur. Huius quoque parmae umbilicus decussatus erat transversis lineis, cujus duæ oppositæ partes albae, adversæ cæruleæ.

PRÆFECTUS FABRICÆ. CAP. XXVII.

Præterea sex illa insignia, quorum superius mentionem fecimus, præfectus Fabricæ septem alios ordines ducebat totidem gestaminibus insignes: in quorum uno Serpens luteus dimidia sua parte conspicuus, capite truncique parte cæsa in lævam versis, parma cærulea. Inter Serpentis caput atque segmentum orbiculus erat luteus, umbilicus quoque in obliquum decussatus, partim aureus, partim argenteus erat.

DEFENSORES. CAP. XXVIII.

Duos vero Angues in caducei speciem implicatos, capitibus ad osculum coeuntibus, in parma cærulea, quam ruber ambitus late circuibat juxta marginem, illi gestare, soliti sunt, qui Defensores vocabantur. Horum præfectus erat illustris vir, militum Præfentialis nuncupatus.

SEXTA PARTHICA. CAP. XXIX.

Integer etiam caduceus, hoc est, totis expressis Anguibus, iisque una cum baculo, luteis, in parma cærulea, cujus marginem purpureus circulus ambibat, insigne erat legionis ejus, quæ Sexta Parthica vocabatur. Militabat sub Magistro militum per Orientem.

ANGLEVARIII. CAP. XXX.

Sub militum autem Præfentiali Anglevarii erant, quorum insigne fuit caduceus ruber, in baculo cujus summitate pila erat, unde Angues prorumpabant, & ad osculum juxta parmae medium adhaerebant. Parma erat sapphinei coloris, at dilutioris, quam purpureus ambitus circuibat.

CORNUTI. CAP. XXXI.

At sub Magistro militum Præfentiali (alia hæc erat præfectura) Cornuti merebant, quorum gestamen erat parma tota lutea, sed nigro circulo aliquantulum interius circumducto, in medio cujus Angues rubri duo, non è baculo, sed velut è cippo quodam idemtidem rubro emissi ad osculum incurvabantur. In cippi medio ancile parvum erat colore per pictum luteo, duabus in mediis nigris lineis, à dextera ad lævam in parallelum dissecantibus, in superiore cujus parte T. centurionis signum notatum erat: de quo alibi diximus.

FALCONARIII. CAP. XXXII.

In eadem Magistri militum Præfentialis militia, gestamen erat in parma tota purpurea, Angues duo cærulei, colore tamen dilutiore, binæ utrique aures acutæ, longèq; surrectæ. Hi non baculo sed lato cuidam pedamento committebantur (liceat ita columellam appellare, quæ sustinebat Angues) unde mox in superiorem caducei partem curvabantur: fulcrum illud lato spatio binas hinc inde plicas acutis angulis porrigebat. Medium huius spatii umbilicus aureus occupabat: quid præferant, Milites Falconarii nuncupabantur.

VINDICES. CAP. XXXIII.

Is proximi erant & ordine & præfectura vocati Vindices, qui cæruleas Mori instar colubras in caducei morem flexas, pro insigni habebant in parma tota lutea, ubi angues pedamento committebantur appliciti coalitiq; aureus erat umbilicus.

SAGITTARII NERVII. CAP. XXXIV.

Ducebat & Magister peditum ordines aliquot caduceis insignes, ex quibus præcipue erant Sagittarii Nervii, qui dimidio utebantur caduceo quorum scilicet parma coloris erat prasini, rubro

Abro circumducto limbo: Parmæ medium occupabat orbis luteus, in quo Angues purpureæ rubro coalitæ fulcimento, ad osculum in circuli se formam incurvabant.

BATAVI. CAP. XXXV.

Horum focii erant, qui cæruleos gestabant Angues in caducei morem flexos, in parma tota rubra. Anguium vero pedamentum album erat, veluti squamis acutis quatuor altera super alteram scandentibus, quarum apices inferne summittebantur. Batavi autem erat eorum nomen.

MARCOMANI JUNIORES. CAP. XXXVI.

Iis additi erant Marcomani juniores, qui & ipsi caducei formam præferabant: Albas quippe Angues in clypeo rubro, cuius margo albo circumplectebatur circulo, qui fundamentum ad Angues usque coloris ejusdem proferebat.

MARCOMANI SENIORES. CAP. XXXVII.

Neque quidem hinc aberant seniores Marcomani, qui hunc eundem secuti præfectum, prasinas habebant caducei colubras in alba parma, quam luteus ambibat circulus, rubra vero erat fedes pro fulcro supposita, cui applicitæ erant colubræ.

ATECOTI JUNIORES. CAP. XXXVIII.

Ordinibus his adnumerabantur illi quoque, quorum gestamen erant Angues ex caduceo luteæ, cum rubro pedamento in cærulea parma dilutiore, quam margo ruber ambibat: intra ambitum Anguium figura cordis erat coloris purpurei. Hi vero Atecoti juniores appellabantur.

EXCULTATORES. CAP. XXXIX.

Unus etiamnum ordo caduceatus eundem Magistrum peditum sequebatur, quibus nomen erat Excultatoribus. Gestabant ii caduceum ex luteis Anguibus auritis, quorum terga crispis acutioribus inhorrescebant. Alba erat parma, quam margo ruber amplectebatur.

BRACHATII. CAP. XL.

Qui vero sub Magistro equitum caducei gestamen usurpabant, albas præferabant colubras, cum pedamento identidem albo in parma prasina, quam ruber ambibat limbus, hique Brachati vocabantur. Reliqua vero insignia, quæ innumera pene sunt, per commentaria cæterorum animalium, ut loco quæque congruebant, singula disposita sunt: partim in arma & signa reliqua militaria congesta. Nunc quia res nobis cum Angue est, & in caduceum incidimus, satis habituri sumus, si reliqua caducei significata Commentario hoc explicuerimus.

DE CADUCEO. CAP. XLI.

Caducei species tota prorsus Ægyptiaca est, quam Mercurio præcipue veteres consecrarunt, Draconibus duobus, mare scilicet & femina, parte media voluminis sui invicem in nodum, quem Herculis vocant, obligatis: quorum primæ partes reflexæ in circulum pressis osculis ambitum circuli jungunt, caudæ vero ad Caducei capulum revocantur, ornanturque alis ex eadem, capuli parte nascentibus.

GENESIS. CAP. XLII.

Argumentum hujus hieroglyphici commenti ad genituram hominis, quæ genesis appellatur, ^{Hominum} Ægyptii protendunt, deos præfides homini nascenti quatuor esse memorantes, ^{nasivitatia} *δαμωνα, ἠ-
προφιδες* ^{χλω, ἠγαλα, ἠγὴ ἀνδρῶν κτλ.} Ac priores duos Solem & Lunam intelligunt: quod Sol author spiritus, ^{quod, &} caloris & luminis, humanæ vitæ genitor & custos est, ideoque nascentis dæmon creditur. Luna ^{ἠγὴ, qui.} quia corporum præses est, quæ fortuitorum varietate jactantur: Amor osculo significatur, Necessitas nodo: pinnae mentis velocitatem indicant, qua perniciosus nihil. Involverum vero Draconum, iter utriusque flexuosum ostendit: quæ omnia & pleraque alia Macrobius diligenter examinavit, à quo, quæ diffusius quis exponi quæ fieri, petendum. Occultam sane rerum originem per Serpentis ^{Ex Macr. lib. 1, c. 19.} effigiem Valentiniiani commonstrabant, positionem intestinorum nostrorum, per quæ esca infertur, ^{Sap.} in exemplum adducentes, quæ serpentina spiræ instar in utero delitescens, occultatæ in nobis genitricis substantiæ specimen habeat.

Nempe
Suidas &
Polyb. lib.
4. histor.
Hinc illud
Δίγω κνβί-
xενοί
βασι κα-
δουκων, α
Suidas &
Polyb. lib.
4. histor.
Macr. lib. 1.
cap. 9.
Anguis ter-
ra signum.

SUNT authores haudquaquam aspernandi, qui Serpentes illos mutuis nexibus implicitos, minas & pacem simul ostentare putent: cujusmodi simulacrum Gephyrei armato exercitui praetulisse feruntur, cum Eumolpus Athenienses profligavit: illi enim Caduceum praetendentes, & pacem quietis, & minas infantantibus, offerre visi.

TERRA. CAP. XLIV

INTERPRETATIONEM eam, quae Caduceum ad geneleos significatum trahit, Aegyptiacum esse non negarim, sed alia quadam ratione à Macrobiano commento feciore. Siquidem Aegyptii cum maxime omnium humanum genus ex caeno genitum profiterentur, colubros terrae filios esse non ignari, prout etiam in ostentis aliquot accipiuntur, singentes colubros ita mutuo complexu ad osculum tendere, omnem indicant humanitatem, si salva esse velit, oportere in ejusmodi concordiam convenire: Caduceatores itaque Serpentes eo complexu conjunctos praefereunt, ut eos, qui aliis injuriam facere moliantur, humanitatis admoneant. Quod vero terrae signum sit Anguis, plerisque historiatarum locis, sed eo praecipue reperias, ubi Croesus adversus Cyrum bellum suscepit: eo enim tempore vis colubrorum ingens in suburbanis Sardium locis reperta coorta est, quos Equi in pascua missi passim devorant: responderunt divinationum periti, futurum ut externae gentes indigenas confunderent: indigenam enim esse colubrum, terraeque filium, Equum vero & advenam, & bellicosum hostem, de quo suo satis dictum Commentario.

CONCORDIA. CAP. XLV.

VERUM si quid in longa hujusmodi rerum indagine ariolari licet, putarim ego picturationem hanc in pacis & concordiae significatum inde sumptam, quod Serpentis effigies plerisque locis pro bello & odio, funestaque alia quavis clade poni solita est: osculum autem, & pacis, & concordiae signum esse, negarit nemo. Quin & sacrae pietatis nostrae literae pacis osculum identidem attestantur. Virga ut loco suo latius ostenditur, tum disciplinam, tum eloquentiae vim indicat. Si quis igitur pietate gravis, & eloquentia potens, altercantes aggressus, nullam bello salutem esse docuerit, dubium bellorum omnium eventum dixerit, funesta perniciosaque demum esse bella demonstravit, & quaecumque alia ad hujusmodi rem pro loco, tempore, personisque facientia excogitare & eloqui poterit, per facile is discordes animos in concordiam trahet, duosque Angues, hoc est, odia mutua doctrinae suae virga in unum obligabit, quibus ad osculum coeuntibus, convenire animos & ad concordiam conversos esse, meridiana luce clarius apparebit. Neque me fugit, esse ovorum genus in magna Galliarum fama, quod anguineum appellant Druidae, quod ex numero suorum ovorum faciant Angues convolventes ea & salivis faucium corporumque spumis conglomerantes, ut tandem fiat ex multis unum: sive Angues ea sint ova spiris ita conglobati, artificisque complexu adstricti, salivarumque profluentium humore concreto crusta superinducatur. Utcumque, id sane constat: ovum hoc quod dicitur, sit, ad victorias litium & ad conciliandos sibi Regum aditus mire laudari: perinde ac etiam inguen Anguis in pelle Dorcadum (ne Draconum, ut in corruptis Plinii codicibus habetur, dicamus) nervis cervinis alligatum in lacerto conferre ad judiciorum victoriam perhibetur, cujusmodi rebus magica superstitio mortalium plurimos eludit. Quod si hoc credibile videatur, Philostrato etiam, praeter innumeras quas continet fabulas, fides adhibenda est: qui Gygis annulum habuisse lapidem scribit, qui montanis Indiae locis cristatorum quorundam Draconum capitibus insit. De quo quidam annulus multa Plato libro de Justo. & ab eo Tullius in Officiis, quod is qui eum gestaret, pala in volam conversa, à nemine spectaretur, quamdiu pars illa palam attingeret.

PAX. CAP. XLVI.

PLERISQUE sane locis videre est Anguium hujusmodi globos, in unam quasi massam adstrictos, de jugorum verticibus ad ima provolvi. Et in Aethiopia sunt tantam Anguium vim convenire, convolvique in gyrum invicem, ut montis speciem procul aspicientibus reddant: cujusmodi quidem complexus Anguium, & frugifera eorum concordia, causa (ut Plinius inquit) videtur esse, quare externae gentes caduceum in pacis argumentum circumdata effigie Anguium fecerint: neque enim cristatos esse in caduceo, mos est. Adhuc, numismata tot caduceis insignita, pacis inscriptione praef-

A praeferunt, ut in numo Cæs. Vesp. Augusti. P. M. TR. P. COS. VIII. sigillum est cum caduceo & ramo olivæ, inscriptione adjecta, PAX AUGUSTI. Vidimus & numum aureum Bononiæ apud Achilinos, in quo simulacrum alatum est, cum caduceo & serpente quodam à pedibus abeunte, cujus inscriptio est, PACT AUGUSTÆ. Illius sane Serpentis abitus ablegatum alio bellum ostendit. Alia in hoc numo literæ sunt, TIB. CLAUD. CÆS. AUG. P. M. TR. P. Nam in altero ex ære ejusdem Tib. L. Claudii numo alatum sigillum est: dextera, vestimentum à pectore ad faciem tollens: læva caduceum exporrigit, pedibus Serpentem sinuosum calcat, quod bello oppresso pacem condonatum omnino significat.

Vespasiani sigillum, 15 numus.
Tiberii Claudii numus.

FELICITAS. CAP. XLVII.

Caduceo vero si cornu copiæ adiciatur, felicitatis indicium est, quod in ejusdem Vespasiani, & aliorum numis observavimus. Nam & Hadriani numus est eodem significato, atque inscriptio, quæ in Trajani habetur, quippe FELICITAS AUG. Vidimus etiam in Antonini Pii numo caduceum & olivæ ramum fructibus & foliis onustum, cujus est inscriptio, FELICITAS AUG. In Severi vero Macrini Augusti numo non olivæ ramus, sed hasta in læva est manu, caduceus dextera prætextatur: inscriptio, FELICITAS TEMPORUM. S. C. Hastam autem intra alia significata humanæ etiam ætatis indicium esse alibi ostendimus, ac perinde temporis. In Julii Mameæ numo, Dea lævo cubito columellæ assurgentis capitulo innititur dextera caduceum tenens: inscriptio, FELICITAS PUBLICA. S. C. Columna enim habet, nescio quid, in significato quod ad publicum pertineat: de qua loco suo plura. Ex his dubio procul constat, quid sibi velit caduceus ille, qui situs est in medio cornuum duorum in numo Drusi, quidque solus ille in numo, cujus inscriptio est, M. PLETORI SEST. EX S. C.

Hadriani. Trajani, Antonini Pii, Severi, Imperatorum, & Julia Mameæ numi.

ELOQUENTIA. CAP. XLVIII.

Sed quia Serpentem pro astu poni docti sumus, ex Aristotele dicente, animalia quædam esse astuta per se, sicut sunt Serpentes: magis vero ex lectione sacra, quæ prudentiam huic in primis animalibus tribuit, ea etiam de causa Angues caduceo complicari putamus: quod ostendere voluerint, & calliditatem & prudentiam necessarias eloquentiæ, quæ per virgam significatur, quippe quæ regat dicentium animos. Neque desunt qui virgam auream in Mercurii manibus, à qua Deus ipse appellatur, dignitatis & excellentiæ, quæ illum ornant, qui & scite & opportune norit orationem contexere, signum esse contendunt.

Id est, auream virgam, quæ regat dicentium animos. Hom. Odyss. v. vers 87.

SAPIENTIA. CAP. XLIX.

Virga vero Palladi, totius sapientiæ Deæ, ab Homero passim accommodatur. Vlyssis quoque focii uno virgæ capite, falsa quippe persuasione ac insipientia, in brutorum species transformantur: altera virgæ capite, vera quippe disciplina ac rerum peritia, in humanam restituuntur effigiem. Reliqua vero taceo, quæ Moyses ubique virgæ fretus munere scribitur effecisse: nam alibi super hoc suus erit locus. Quam vero nunc tractamus, ea est divina virgula, de qua M. Tullius in calce primi libri Officiorum ait: *Quod si omnia nobis, quæ ad victum cultumque pertinent, quasi virgula divina, ut ajunt, suppedirentur.* Atque hanc dicendi formam apud alios etiam auctores invenies, qui ex hoc effulssimam eam DEI Opt. Maxim. munificentiam intelligunt, quæ omnia secundet, fortunat atque felicitat.



Virga Palladi quæ. Hom. Odyss. v. vers 87.

VERA DISCIPLINA. CAP. L.

Eundem hunc Scipionem nostri sic figurant, ut ad omnium fere templorum facies juxta limina, colossæ magnitudinis figuram humanam pingant, quæ Christum puerulum in humeros sustulerit.

Nempe Christophorum.

lerit: quod, ut mea fert opinio (nam historia omnino apocrypha est) ea de causa fit, ut si Christum gestare humeris, hoc est, veram sapientiam enancisci volumus, dandam esse operam impensissimam disciplinæ admoneamur, robori cuius innixi, rapidos quorumcunque annium cursus profunditatemque, ac torrentium impetus facile superemus. Et quod Jacob ait: *In virga nostra Jordanem pertranseamus*, sane Jordanis vel quodvis aliud flumen, fluxus animi motus, & voluptariæ molli tudinis affectus indicat: virga disciplinam, sine qua non esse progrediendum Græco monemur adagio, qui firmiter innituntur, nullis perturbationum occurribus deturbantur, nullis undarum quantumlibet inturgentium fluctibus immerguntur: pedibus vero per ima vel ipsius pelagi demersis, vitæ crure genue tenus alluimur: capita autem, ut ait ille, condimus intra sidera, Deumque ipsam finere humeris videmur, ac veri demum evadimus *χρηστὸί ἐγώ*, in quos ubi sagittæ fuerint immisæ, eadem in jaculatores suos sponte retorquentur, ut in vulgata habetur historia. Quid enim in universa literarum peritia facilius, quam eorum calumnias repellere, ac suismet unumquemque jaculis conficere, qui sanctissima nostræ pietatis instituta vel incessere, vel convellere aggrediatur, quæ certo Dei sit præsidio firmata, magni verique numinis munimento quam validissimo roborata?

JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIBER XVI.

DE IIS QUÆ PER ÆSCULAPIUM GORGONAS, HYDRAS, ET ID GENUS ALIA SIGNIFICANTUR

Ex Sacris Ægyptiorum literis,
AD MAGNIFICUM MARIUM MAFÆUM
ROM. PATRITIUM



Ibi vero elegantissime Mari, tertium de Serpentium significationibus commentarium deducendum judicavi, ut universa, hæc materia, quæ à vobis honoratissimis fratribus magna sui parte profecta est, ad vos identidem rediret, laudastig, ea, quæ ad Reverendiss. Cardinalem, quæq; ab Achillem fratres tuos miseram, significastig, libellos illos pro humanitate tua libenter a te lectos in illis tamen desiderasse quædam alia, ut opus absolutum undecumq; videretur, præter Æsculapium fabulosa scilicet illa, Gorgonas, Hydras, & id genus alia: tum quædam venenatorum genera, Dyspadem, Scorpionem, Salamandram, quod in illis quoq; inesse debere hieroglyphica auguraris: proinde cumstis, ut hæc vobis nomine tuo per Florum nostrum significarentur, ne contentus iis esse vellem, quæ duobus illis Commentariis collegissem. Respondi, dilectiss. Mari, agere me gratias incomparabili humanitati tuæ, quod ita me admodum mearumq; nugarum, qualescunq; essent, cum suscipere dignareris: sed quod in prioribus illis non omnia sim complexus, minime per negligentiam esse factum scias, imo quia veritus sum vos fratres vestros tam præstantes, magnis & innumeris Christianæ Reipubl. negotiis oppressos, dictione mea tam levi diutius occupare, summumq; fuisse brevitatis studium, ne in publica peccarem commoda, si temporis eorum longam morari sermone voluissem. Quoniam vero ita te cupere declarasti, ut illa ad argumentum hoc adderentur, dedi operam, ut ea quoq; colligerem: quæ cum longe plura essent, quam pro corollario subijci possent, eadem impeditus verecundia, ne nimia nugarum congerie importunus fierem, longe tolerabilius esse iudicavi, si residua hæc in unum, idq; iustum adstruerem commentarium, ac veluti Serpens linguis micat oreum aliquot, multa de plantis, de piscibus, & aliis rebus non admodum pauca, cur non & tria de tanta Serpentium varietate conscribi possent? Sedenim hoc tertium nulli convenientius dedicari debuit, quam tibi, qui author impulsorq; fueris, ut ea conquirerentur: egoq; importuni nominis perbelle declinaverò, cum tu ipse ex abrones in te sponte tua concitaris. Vale,